



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 109. Maria Scotiæ Regina ad supplicium abstracta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. A.C. 1587. flere visa illos solabatur, monebatque, ut a lacrimis sibi temperarent, eo quod ipsa ad primum felicitatis suæ momentum properaret, mox a tot calamitatibus, quibus hucusque pene consumpta fuisset, liberanda: postea cunctos e cubili excedere iussit, exceptis suis pedissequis: ingruentibus vero jam noctis tenebris ad suum Oratorium secessit, ubi in terram prostrata plusquam integris horis Deum precabatur, ut in extrema lucta ei divino suo auxilio præsto esse velit: demum ad suas famulas reversa, corpus parco alimento reficiebat, atque ad lectum se componebat: duabus autem horis ante solis ortum surgens pretiosiores vestes induta ad suum Oratorium revertebatur, ubi Sacratissimo sese muniebat Viatico, quod sibi, prout fertur, a summo Pontifice Pio V. transmissum semper sedulo conservarat, ut urgente necessitatis eventu illo uti valeret: id tamen ægre creditur valet, cum jam decimus quintus præterlaberetur annus, a quo sanctus hic Pontifex e vivis excesserat.

## §. CIX.

*Maria Scotiæ Regina ad supplicium abstracta.*

*Thuan. l. 86. Summo mane Deputati ad Regiæ curiæ*  
*Addit. l. c. bile conveniunt, eandem ad supplicium*  
*pag. 542. t. 1. cil*



cii locum abducturi: erat ibi aula quædam, in cuius medio ferale erigebatur pegma, quod quadratam præferbat figuram, ac latum duodecim, duobus autem pedibus altum, pannisque nigris velatum erat: eo igitur Scotiæ Regina eburneam Christi Crucifixi imaginem manu gestans ingrediebatur, cumque pegmati vicina esset, accersito Curix suæ Ministro dixerat: „ascendentem adjuva, atque extremum hoc mihi præsta obsequium.,, Ceterum Regina habitu admodum decenti ex pretioso holoserico nigro fibulis, laminisque aureis, & margaritis distincto induta, & caput alba sindone pertenui ad terram usque a tergo dependente redimitum erat: porro in eo luctu etiam post tædiosi carceris molestiam pristinum oris decus, ac pulchritudo, qua tot homines in sui amorem rapuerat, integra adhuc relucebat, qua & astantibus partim admirationem, partim commiserationem movebat: quamprimum vero pegma conscenderat, Sedi ad id præparatæ infidebat, atque ex utroque latere adstantibus duobus Deputatis iudicibus prælectam mortis sententiam excipiebat: absoluta autem illius lectione Conscientiæ suæ Moderatorem sibi advocari rogabat: verum ea illi gratia fuit denegata, quinimo Can-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1587.

Gg 3

tienfis



Sæcul XVI.  
A.C. 1587.

tienfis Comes eidem suadere præst-  
mebat, ut superstitione omni abjecta,  
imaginem Christi non manibus, sed in  
corde gestandam sciret: verum mox illa  
eidem reposuit. „verum dicis: ast ægre  
„ejusmodi imago in manibus teneri  
„potest, quin ejus aspectu cor ad pie-  
„tatem moveatur, nam nil magis Chri-  
„stianum decet, quam instante morte  
„verum redemptionis suæ signum defere-  
„re. Postea rursus palam hæc profite-  
„batur: „nec contra Regnum, nec ad-  
„versus Elisabetham Reginam sororem  
„meam quicquam molita sum, equidem  
„in libertatem me asserere adlaboravi,  
„prout cuilibet inique capto licitum est,  
„nihilominus sat omnibus manifestum  
„patet, quod unice ob Religionis meæ  
„odium neci tradar, ego tamen me om-  
„nium felicissimam reputo, eo quod pro  
„veræ fidei defensione sanguinem sum-  
„dere possim: „ His dictis Reginam  
exorari voluit, ut suorum famulorum  
misereri velit.

Porro cum Richardus Flecherus  
Peterborgiensis Decanus secta hæreti-  
cus illam hortari vellet, mox Re-  
gina illum Anglico sermone allocuta,  
amice, inquiebat, non sis mihi mole-  
stus: quibus verbis aperte indicabat,  
quod nullatenus cum ejusmodi hære-  
tico conversari, vel in extrema sua lucta  
ullum



ullum a Sæctario solatium recipere vel-  
 let: hoc tamen Ministello nihilominus  
 eidem acclamante Maria latino idioma-  
 te suas preces altiori voce ad Deum  
 ingeminabat, Deoque Ecclesiam Ca-  
 tholicam, Jacobum Regem Filium suum,  
 Reginam Elifabetham, ejusque Regnum  
 fervide commendans se in Catholicæ  
 Religionis communione mori rursus  
 profitebatur, absolutisque hisce preci-  
 bus, carnifex ad ejus genua provolu-  
 tus veniam ab ea precabatur, cui illa  
 respondit: „tibi, omnibusque illis, qui  
 „in vitam conjurarunt, tanta cordis  
 „sinceritate ignosco, quanta mihi met-  
 „ipsi a Deo cuncta delicta mea ignosci  
 „efflagito. „ Sub idem tempus flexis  
 genibus se unice spem suam in Christi  
 Domini meritis reponere declarans e-  
 lata voce Psalmum trigesimum, qui  
 incipit: *in te Domine speravi &c.* recita-  
 bat, sæpius hæc verba repetens: *in*  
*manus tuas Domine commendo spiritum*  
*meum.* Postea sese erexerat, atque a  
 duabus suis pedissequis adjuta sese pal-  
 ludamento superiori, atque interiori  
 veste exuere inceperat, nullatenus  
 permittens, ut carnifex, vel alii illam  
 contingerent: igitur mox ita ad  
 ictum expedita ultimo pedissequis suis  
 dato osculo, cunctisque bene precata,  
 ut sine fletu ab ea discederent, præ-  
 cepit,

Gg 4

cepit,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1587.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1587.

cepit, easque rogavit, ut pro ea suas ad Deum preces funderent, atque ubique testes essent, quod in avita, sancta, & Catholica Religione vitam finierit. Demum cervicem trunco imponens rursus hæc verba: *in manus tuas* &c. ingeminabat, moxque carnifex bis repetito ictu caput abscidit.

## §. CX.

*Regina carnificis manu capite plexa.*

Thuan. l. 96.  
Cambden in  
vit. Elis.  
Mem. d' E-  
toile t. 1.  
pag. 219.

Tum hæc Regina nonnisi quadragessimum quintum ætatis annum agebat, octodecim omnino annis carceris squalore confecta. Ceterum nihil vestium, quas Regina deferebat, relinquebatur, sed datis pecuniis suam quisque mercedem obtinebat: cuncta vero hujus Reginæ sanguine aspersa, imo ipsi etiam pegmatis asseres, pannusque substratus, in ignem projiciebantur, ne quid reliquiarum superesset, ut Anglicani Ministri ajebant, quod superstitioni occasionem præberet.

## §. CXI.

*Simulatus Elisabethæ luctus ob hujus Reginæ necem.*

Rapin.  
Thoyr. hist.  
d' Angl. t. 6  
l. 17. p. 358.

Hic demum fuit exitus gloriosissimæ Scotiæ Reginæ Mariæ Stuartæ, quæ innocua vindictæ, qua Elisabetha implacabili odio in eam flagrabat, victi-

ma